



# Disputatio juridica inauguralis de usuris

<https://hdl.handle.net/1874/340696>

21

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**U S U R I S ,**

*Q V A M*

DEO TER OPT. MAXIMO PRÆSIDE  
*Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**D. JOHANNIS van MUYDEN,**

Jur. Utr. Doct., ejusdemque Facultatis in Illustri hac Academia  
Utrechtina Professoris Ordinarii, Dignissimi

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī consensu, & Nobilissime*  
*Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in UTROQUE JURE honoribus, & Privilegiis  
ritè, ac legitimè consequendis.

*Publicæ Eruditorum censura submittit*  
**CHRISTOPHORUS BERNARDUS HERTLEIF,**

Monasteriensis Westphalus.

*Ad diem . Juny horâ locoq[ue] solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clo lcc LXXXVII.

REVERENDISSIMIS  
PER ILLUSTRIBUS DOMI-  
NIS DOMINIS DECANO SE-  
NIORI CÆTERISQUE SUM-  
MÆ CATHEDRALIS ECCLE-  
SIÆ DIVI PAULI MONASTE-  
RIENSIS CANONICIS DOMI-  
NIS MEIS GRATIOSISSIMIS.

*Hanc Inauguralem disputationem  
cum devotissima sui suorumque  
commendatione*

D. D. Offert dedicat con-  
secrat

C. B. HERTLEIF.

*Auctor.*

# Reverendissimi per Illustres

Dni. Dni. Decanus Senior cæteri,  
que summæ Cathedralis Ecclesiæ  
divi Pauli Monasteriensis Canoni-  
ci Domini mei gratosissimi.



Vi conatum meorum in *Juris Civilis*  
studio primitias dedicarem non diu mul-  
tumque mibi fuit *Circumspiciendum*,  
quorum enim memoria se mibi offerre  
poterat citius, quam illorum, quorum  
perpetua salute & incolumente, quotidie Deum Im-  
mortalem precibus meis invicem, ipsa me jubet pie-  
tas. Tantus favor vester & benignitas in pie defun-  
ctum patrem meum quæ fluminum instar exuberan-  
tium majoribus rivis sese in me effundet ut novam  
subinde materiam propitio Numinis sum habiturus Re-  
verendiss. nominibus *Vestrīs* Immortales agendi gra-  
tias. Quamobrem quicquid divino adjutus auxilio in  
optimarum artium hocque *Juris prudentiæ* studio ba-  
etenus sum aucupatus atque venatus, id Omne, Re-  
vered. Illustris. dignitatibus *vestris* submissa mente  
offerro nolo virtutes *vestras* generosi animi dexterita-  
tem & curam pro Ecclesia Cathedrali stillo meo extol-  
lere, quis enim faviuus in enarrandis laudibus

*vestris militaretur, aut Tullianam indulgeret elo-  
quentiam, dignitatibus vestris demum dignam rogo  
Saltem ut hocce Munusculum levidense gratiosa fron-  
te respicere ut me atque studia mea perenni favore ac  
gratia vestra Complecti dignemini Deus T. O. M.  
Semper Incolumes sospitesque præservet*

Reverendissimorum per Illustrium  
Dominorum Dominorum Deca-  
ni Seniori cæterorumque summe  
Cathedralis Ecclesiae divi Pau-  
li Monasteriensis Canonicorum  
dominorum meorum gratiosissi-  
morum

*Devotissima fide*

*Addictissimus Cliens*

C. B. HERTLEIF,  
Auct.

# In Nomine Dn. Nostri Jesu Christi.

## THESES I.



Vocis igitur Cognitione quod plerumque fieri solet ut auspiciemur, vox usuræ igitur ab *utendo* dicta Latinis usum significat, unde usuræ lucis temporis, vitæ, nil aliud fere significat, quam rerum istarum usum, ast factum est, ut vulgo pro usus pretio vel mercede accipiuntur usuræ We-senb. *de usur. n. 1.* quasi ipsa pecunia locata, & ejus locationis nomine merces aliqua petatur *Duar. de usur. l. 1. §. 1. in fin.* quibus apprime congruit quod dicit. *Isidor. l. 5. originum Cap. 25.*, usuram esse nuncupatam ab usque æris crediti & Varro lib. 4. de lingulat. usuram impedium appellat quæ cum ad sortem accedit ex usu usura dicta est.

### I I.

Post Cognitionem nominis sequitur cognitio rei quæ sit mediante definitione, quam doctores initium omnis disputatio-nis dicere solent, usuram igitur cum communi doctorum schola definimus & describimus, quod fit certa quantitasforti seu quantitati principaliter debitæ accedens, præstanta in re ejusdem gene-l. 32. & l. fin. *C. de usur. Heig. p. 2. q. 1. n. 141.*

### I I I.

Pertractata definitione sequitur divisio dividitur ergo usura in lu-cratoriam punitoriam & compensatoriam, usura lucratoria dicitur, lucrum illud, quod quasi ex pacto mutui accipit nullo alio titulo, quam quod alteri mutuum dederit, punitoria dicitur lucrum illud quod quasi accipit ex pacto in pœnam non servantis promissa. v.g. Si quis mutuet 100. flor. ita tamen ut intra annum eos restituat fin minus pro pœna exsolvat 5. flore. Compensatoria usura pervenit ex pacto, quod initum est de solvendo aliqua re ratione damni emer-gentis, lucris cessantis, periculi suscepti vel laboris aut expensarum,

quæ probabiliter creduntur futuræ in recuperando mutuo his  
itaque suppositis.

Quæritur 1<sup>mo</sup> an usuræ lucratorię sint prohibitæ Affirmati-  
va est amplectenda, ut probatur ex jure divino, Psalmo 15. ubi  
dicitur, eum qui pecuniam suam non dederit ad usuram habitatu-  
rum in monte domini, & Lucæ c. 6. habetur, benefacite & mu-  
tuum date nihil inde sperantes, quibus respondent Jura Cano-  
nica ut pro hæretico habeant eum, qui pertinaciter affirmare  
præsumit, exercere usuras non esse peccatum Clement. rat. §.  
ult. de usur.

Quæritur 2<sup>do</sup> an usuræ punitorię sint prohibitæ &ceteris  
paribus quod non, quia debitor qui est in mora peccat contra  
justitiam retinendo alienum seu alteri debitum ac perinde dignus  
est pena, consequenter, rationabiliter in pactum deduci potest,  
ubi aliter in termino ei præfixo mutuum datum non restituerit,  
*I. magnum C. de contrah. vel committ. Stipular. lessius. de f. & f.*  
*C. 20. dub. 20. n. 128.* dixi notanter ceteris paribus, quia adhoc  
ut usuræ punitorię exigi possint, requiruntur quatuor condi-  
tiones, quorum prima est ut non imponatur pena in fraudem usu-  
rarum, ita videlicet ut pena propter lucrum ratione mutui de-  
tur, sed imponatur quia interesse mutuanti, vel quia in eo ter-  
mino habere vult, sive deinde inter sit sive non; eo tamen ipso  
quod mutuatarius contra mutuantis utilitatem ultra terminum ei  
præfixum rem mutuatam retinet, injuriam ipsi facit, ob quam  
de ejus consensu pena moderata statui potest. secunda est quod  
ex parte mutuatrii, verè culpa interveniat, ibi pœna locus esse  
non potest, cum pœna imponantur delinquentibus. tertia ut pœ-  
na sit moderata secundum modum culpæ quia pœna delictis de-  
bent esse commensurata, *I. 7. de pignor.* Quarta ut mora sit nota-  
balis, nam tempus restituendi mutui Præfigeretur ut unus aut  
alter dies ultra terminum ei præfixum laberetur, tantus rigor  
pœnae incurrendę tam facile observari non potest *less. loc. cit.*

Quæritur præterea an usuræ compensatorię sint prohibitæ &c.  
quod non quia usuras quas mutuans exegit, non recipit ex eo  
mutuum, datum sed ideo quia alias damnum pateretur, aut lucrum  
perderet ex beneficio, quod alteri præstítit, nemo autem alteri cum  
suo notabili damno subvenire tenetur, sed hoc tamen ut respectu  
damni

damni emergentis aliquod ultra sortem exigi possit quatuor requisita intervenire debent quorum primum est ut mutuum sine causa damni sine isto mutuo damnum non eveniret.

Secundum est ut mutuans mutuatarium admoneat de damno emergente, quia si mutuarius hoc sciret forte cum tanto onere mutuum non acciperet.

Tertium est ut mutuans mutuatarium non cogat pacisci de periculo damni potius quam de damno sed relinquat ejus arbitrio an mutuantem indemnem servare an vero pro periculo seu incerto damno aliquid certi promittere velit.

Quartum ut si in pactum dederetur id quod ratione damni emergentis praestandum est quia secluso pacto mutuarius ad hoc praestandum non obligaretur nisi fuisse in mora secundo Inferatur licitum esse pacisci de lucro cessante modo sequentes Conditiones interveniant Primo lucrum habetur inspe certa vel summum probabili; 2. Ut lucrum solum exigatur, quantum revera futurum speratur, deductis Impensis & sustinendis cum sui fastidio periculis & laboribus ac proinde minoris illud aestimare debeo, quam si defacto illud haberet. 3. Ut mutuarius de illo lucro cessante moneatur & de super pactum fiat. 4. Ut illa mutatio sit causa lucri cessantis & si pecuniam destinatam negationi vel emptioni rei frugiferæ V.G. census agri subtraham, & tibi mutuem, consequenter spem illius lucri amittam ita less. dict. loc. dub. 11. n. 87. Inferatur tertio ratione sortis periculi licitum est aliquid ultra sortem exigere quia quando quis ingratiam alterius periculo se subjicit hoc pretio est aestimabile l. in Civitate de usuris nisi postea periculum vel potius damnum quod probabiliter timeri debet, non eveniat, quia sufficit potuisse evenire secundum probabilem tex. in civitat. de usuris.

### I V.

Notandum denique quod aliquæ usuræ quamvis non promissæ præstantur, punitoriae ut in contractibus bonæ fidei quando quantitas, subest sive mora fiat insolvendo l. 33. §. 2. b. r. l. 2. C. h. sive alter in suum usum converterit pecuniam contra fidem contractus, l. 2. §. 1. de usur. l. 60. pro socio l. 10. §. 3. memd. incontratus Bonæfidei compensatoriæ non nisi promissæ debentur l. 5. C. de pact. inst. empt. & vend. casp. capall. de usur. q. 83.

V. In

## V.

In contractibus stricti juris nullę usurę debentur nisi promissę, l. 3. c. b. & ne punitoriae etiam post litis contestationem, l. 38. §. 7. b. l. 3. C. eod. Bachov. tb. 3. in fin. Zoel. n. 30. b. excipitur imo actio ex testamento qua & legata & fidei commissa petuntur quae licet stricti Juris sit propter favorem tamen ultimae voluntatis quoad præstationem usurarum, fructuum ex mora cum iudiciis bonae fidei Convenit l. 34. b. l. 43. de legat. 7. l. 1. c. de usur. & fruct. leg. excep. 2. fiscus cui omnibus contractibus ob moram usurę debentur l. 17. §. 5. l. 43. Wies. h. tb. 11. Tertio actio rei judicat̄ in qua ipso Jure ex mora debentur usurę l. 2. C. de usur. Rei judicat̄.

## V I.

Venient ergo etiam usurę, vel ex stipulatione, sive conventione, conventio est pactum vel stipulatio, conventio nomen generale est, in bonae fidei iudiciis ex pacto debentur usurę tam directis quam contrariis, si id in continenti, hoc est si initio & ingressu contractus, vel antequam ad alia negotia quis divertit, adjiciatur l. 24. §. fin. ibi si tamen ab initio de usuris præstandis convenit, lex contractus servabitur l. publica mævia 26. §. 1. ff. de posit. l. com. quidem 27. §. ex locato ff. de usuris in contractibus stricti Juris aliter se res habet, in his enim sine stipulatione usurę pecuniæ creditæ ex pacto etiam in continenti adjecto non debentur. l. titius 24. ibi pecunię quidem creditæ usuras nisi instipulationem deductas non deberi. ff. p. 21.

## V I I.

Dixi usuras pecuniæ creditæ ex pacto etiam in continenti adjecto Regulariter, non deberi nam aliud in frumento triticico hordeo vino oleo ex similibus rebus mensura constantibus obtinet inquisibus mutuo datis etiam ex nudo pacto usurę debentur l. 12. C. de usur. sed differentiæ ratio hæc est quod pecuniæ sit publica & perpetua æstimatio & una ac eadem potestas, & esse debeat, nec ejus valor & æstimatio ad cuivis placitum mutari possit. l. 1. in verb. cuivis publica ac perpetua æstimatio est forma publica percussa ff. de contr. empt. at frumenti hordei cæterarumque rerum mensura constantium æstimatio constans ac perpetua non est, sed pretia harum rerum subinde mutantur locis ac temporibus varie-

varietatem adferentibus paulus in *I. pretia rerum* 63. ff. ad *I. falcid.*  
ubi dicit non nullam pretio varietatem loca temporaque adserunt  
in hisce itaque speciebus ideo diversum jus est introductum  
ob incertitudinem & diversitatem pretii, sunt etiam casus, inqui-  
bus ex pacto nudo dantur usuræ sic Civitatibus hoc sit in favo-  
rem reipubl. item Argentariis ob ingens studium quod circa pu-  
blicos contractus adhibent, item; à pecunia Trajectitia permisum  
est ob periculum creditoris quod insuscipit compensandum quam-  
vis extra prædictos casus, peti usuræ expacto nudo non possunt  
tamen si solutæ fuerint repeti non possunt, nec in sorte compu-  
tari *I. 3. C. de usur.* licet autem quis easdem plures annos solverit,  
eas tamen imposterum præstare non cogitur *I. 28. C. de pact.* *I. 7.*  
*c. b.* Si constet nullam stipulationem intercessisse si vero dubite-  
tur utrum stipulatio præcesserit diurna præstatio saltem præ-  
stationem justæ & solemnis obligationis inducit *I. 6. prin. b. Zoc.*  
*b. t. n. 36.* præstatur usura ratione quantitatis *I. 3. §. ult. b. I. 6. §.*  
*I. C. de secund. nupt.* & quidem in eodem genere quod si alterius  
sit generis, non est proprio loquendo usura sed est aliquod pro-  
missum aut datum loco usuræ, *I. 14. I. 16. C. b.* notabis hic circa  
merces à mercatoribus venditas, distinge, an tempus exolvendo  
pretio destinatum, & à tempore moræ debebuntur usuræ, an vero  
nullum tempus adjectum, & nullæ usuræ debentur, Dn. Richt *do-*  
*cis. 74. n. 51. 52.* usu tamen fori aliter est receptum ut etiam ex  
mutuo ob moram usuræ debeantur.

### V III I.

Ne autem nimia pœna aut compensatio exigatur, vel difficiili-  
erū; quod interest probatione cives onerentur, leges certam & mo-  
deratam quantitatem usurarum statuunt & primum quidem *I. I.*  
*xii. tab.* usura levissima quæ erat tum uncia constituta fuit,  
deinde rogatione tibunicia ad semi unciam redacta est postea mul-  
tis legibus & plebiscitis ampliata, & ad centesimam permissa, qui-  
busdam tamen locis leviores obtinuere, tandem Justin. in *I. 26. C.*  
*b. t.* definit usuras pro negotiorum diversorum qualitate ac per-  
sonarum conditione alias majores (centesimas scilicet istas quibus-  
dam casibus relinquens) alias minores constituens Perez. *n. 9.* &  
*seq.* Zocz. *b. t. n. 12.* maxima igitur usura fuit centesima quando  
scilicet singulis mensibus centesima pars usurarii assis seu sortis seu

una uncia penditur quæ usura centesima mense sortem æquat & sic de forte centum aureorum singulis mensibus solvendus erat unus aureus, indeque annuatim pro forte centum aureorum pendebantur duodecim ratione harum centesimalium usurarum, seu duodecim annuatim solutarum minores appellationes sunt sortitæ, tanquam ab asse quodam, sic quadrantes usuræ sunt quartæ pars centesimalia aurei nempe tres de forte 100. aureorum trientes tertiae pars centesima id est aurei quatuor semiæs aurei sex sive dimidia pars sentesimalia sextans sexta pars sentesimalia id est aurei duobus de vero sunt bis trientes centesima seu octo annua centesima quincunces quinque de usuris centesimaliis hoc est quinque in aureos centum annuatim unciaria uncia una, sed pars una centesimalia hoc est unus aureus pro centum aureis singulis l. 74. §. 4. de administr. tui. hodie quincunces usuræ 5. in 100. admittuntur quamvis enim ordinat. poll. d. 1577. tit. 17. de annuis Reditibus loquatur locpater & in rec. imperii. d. A. 1600. so wirt nuhn in mutuo a tempore moræ, ista usura statuatur usu tamen receptum, quod in mutuo & aliis contractibus non solum a tempore moræ, sed & compensatoriæ initio contractus promissæ quincunces usuræ recte exigantur, Hagen d. tr. c. 7. & c. 16. n. 44. Carpz. 2. c. 30. d. t. Dn. Richt. decis. 74. n. 5. in fin vidi novissime R. I. In Regensburg de Anno 1654. §. anreichend die Kunffiger zins.

## I X.

Illud quoque observatione dignum est non posse ex debitibus pensionibus eas in sortem convertendo redditum pristinum augeri & novum creari tracto argumento abusuris, quas nullo modo præteriti vel futuri temporis in sortem redigere, & usurarum usuras stipulari, l. 26. §. 1. ff. de condic. in dub. l. 29. ff. h. t. hoc jus confirmavit Justin. in l. ult. h. t. anatocismum penitus prohibens seu renovationem usurarum quamjam ante Augusti temporibus prohibitam fuisse constat excicerone lib. 5. ep. ult. in ad att. quin etiam ipse Augustus ut resert Suet. cap. 29. aliquos notaverat quod pecunias levioribus usuris mutuati graviori scenere collecassent sit Improbum hujusmodi scenus exercentes imp. dioclet. max. declarant esse infames in l. 70. l. exqub. cav. inf. irr. ratio autem cur usuræ usurarum sint illicitæ & semper fuerint prohibitæ est hæc quod accessionis ut est usura, non sit accessio, nam accessio est

est principalis rei accessio , est & hæc ratio, quod poena non exigitur pœnæ usura autem saltem in casibus ob moram debita est quædam poena l. 3. §. ult. l. 12. & l. 17. §. 3. ff. b. t.

X.

Plane si usura sortis redigeretur in ipsam sortem & ei quasi coalesceret, hoc casu licebat usuræ usurarum stipulari, quia scilicet, usura cuius usuram stipulari licebat esse jam sortis potius portio quam usura, ut pote sorti conjuncta sed Justin. nec hoc quidem permisit D. S. ult. quia æque videtur usuræ dari usura, licet redacta in sortem sic etiam olim post tempora judicati exigi poterat usura non tantum sortis sed etiam usurarum ex ea, quod similiiter Justin. abrogavit in l. ult. cod. de usur. rei jud. in qua mentionem facit l. ult. b. t. sed cum dicit usuras usurarum exigi non posse, intelligi debet ab eodem debitore nam ab alio possunt, utpote siquam summam à te accepi usuræ nomine crediderim alii ejusque summae usuras ab eo fuerim stipulatus , vel etiam si tutor aut curator quam usuram exegit à debitore pupilli vel adulti eam in usus suos converterit, hujus summae usuram præstabit quia sortis vice fungitur aut fungi debet l. 12. l. 38. §. 1. ff. de admin. tut. his casibus non est anatocismus renovatio aut continuatio usurarum in eosdem, quod obtinet intutore vel curatore , idem est in procuratore & negotiorum gestore usuras nomine Dni. percipient. l. 10. §. 3. vers. denique mandat secus est si persona non mutetur , adeoque nec usura in sortem transcat ut situtor ipse usuras debeat, & à se ipso non exigit & in rem pupilli convertat Sand. l. 3. tit. 14. def. 6. similiter. 2. Si quis & fidejussor usuras nomine alieno soluat merito ratione istarum usuras exigit Berlich. 2. dec. 268. n. 33. tunc enim usuræ solutæ non sint amplius respectu accipientis in priori casu & respectu solventis in posteriori casu usuræ , sed vera sors secus se res habet. Si creditor adus creditori cui primum eadem res oppignorata sortem & usuras solvat tunc namque usuras usurarum à debitore repetere non potest quia non negotium alterius sed suum ut scilicet ipse in pignore esset prior, gesit l. 12. §. 6. qui pot. in pig. Berli. 2. decis. 268. n. 3. porro 3. usuræ non ut usuræ amplius sed ut sors se habent si debitor sortem cum usuris ab aliis sibi debitis per delegationem cedit suo creditori obsortem debitam vid. Berlich.

lich. dec. 268. n. 34. 35. 36. denique 4. aliud volunt esse in annuis  
reditibus statuentes rationem illorum non debito tempore fo-  
lutorum interesse ob moram recte peti Berlich. dict. dec. n. 29.  
& seq.

### X I.

Quæritur imo quænam sint poenæ usurariorum pro cuius re-  
solutione porro notandum usurarios, alios esse manifestos alios non  
manifestos, manifesti sunt illi qui de usuris commissis publico Judi-  
cio sunt condemnati vel qui publice & palam ad usuras mutuant ita  
ut hoc factum Celari aut negari potest vel qui legitimo Juris  
ordine servato coram judge sunt confessi vel per idoneos testes  
coram judge de eo convicti cæteri habentur pro usurariis non  
manifestis ita tamen ut sola confessio coram parocho & testibus  
non faciat usurarium notorium Secundum doctrinam Lessii de  
*J. & J. lib. 2. c. 20. dub. 22. n. 185.* his ita suppositis prima po-  
ena usurariorum manifestorum est quod ad oblationem & com-  
munionem altaris non sint admittendi qui ob usuram in peccato  
mortali constitutus extra gratiam Dei est. Indeque indignus ut  
ad Ecclesiastica admittatur *C. omnis. de peniten. & remiss.*

Secunda est quod usurariis manifestis Ecclesiastica sepultura  
denegetur qui in peccato mortali vita decedentes pro membris  
putridis Ecclesiæ reputantur, hinc si parochus scienter usurarium  
sepeliri faciat, non tantum accepta proptererea restituere sed etiam  
ab officiis sui executiones suspensus manere debeat quo usque ad  
arbitrium episcopi satisfecerit *C. 2. b. t.*

Tertia poena quod sepelientes notorium usurarium ante fa-  
ctam restitutionem usurarum si id scienter faciant ipso facto ex-  
communicentur *Clem. 1. de usur.* pro sepelientibus autem non  
habent qui funus tantum concomitantur *fess. d. dub. 22. n. 188.*

Quarta poena est quod notorius usurarius testamentum facere  
non possit *C. 2. b. t. in 6.* in qua re nil interest sive sit Christianus  
sive infidelis, quia in infideles non cadit spiritualis poena & inde  
ad Ecclesiasticas leges non obligantur nilominus tamen tenentur  
servare eas leges quæ fundamentum in jure naturali habent, aut in  
bonum reipub. senentur, cujus infideles sunt membra, prohibi-  
tio autem usurarum non solum consistit in jure naturæ sed

et iusta

etiam respicit bonum reipublice ne pauperes nimium per usurarios  
graventur Cavarr. var. *Resolut. lib. 3. c. 3. n. fin.*

Nihilque interest an aliquis sit manifestus usurarius tempore  
conditi testamenti an vero fiat notorius tempore mortis quia te-  
stamentum morte confirmari debet & inde si tempore mortis sub-  
sit impedimentum Juris, infirmatur testamentum, quantumvis  
tempore conditi fuisset habilis ad testandudum per consequens si  
post mortem primum in cognitionem veniatur mortuum fuisse  
usurarium superveniens ista manifestatio non infringet testamen-  
tum antea factum, quia non Manifestus usurarius a jure testan-  
di non excluditur Molina *D. disp. 134. n. 10.*

Quinta, quod usurarius manifestus ipso Jure frat infamis ante  
latam sententiam quia ipsum notorium habetur pro sententia *C. in-  
fame. Caus. 3. 9. 7. C. inter dilectos de excessibus prelator.* quod ve-  
rum est de jure pontificio, non Jure Cæsareo, secundum quod usu-  
ræ erant permisæ, quod a lege permittente fit, non meretur pœ-  
nam, nisi quis legitimum modum in exigendis usuris excessisset,  
de quo casu jus nostrum civile pœna infamia hujusmodi usur-  
rium subjicit, *in l. 20. C. ex quib. caus. infam.* quibus consequens  
est quod infamibus portæ dignitatum non pateant, clericum usu-  
rarium recte repelli ab obtinendo officio *in C. de Petro dist. 47.* & ab  
officio & beneficio acquisito suspendi in *C. præterea X. de usur.*

Sexta est quod omnibus cujuscunque status prohibetur usu-  
rariis manifestis domos conducere ut in illis usuras exerceant ita  
quidem ut Episcopi & Archiepiscopi contrarium agentes ipso fa-  
cto pœnam suspensionis minores, singulares personæ Ecclesiasti-  
ce excommunicationis collegium aut alia universitas Ecclesiastica  
pœnam interdicti incurvant, text. in *C. 1. de usur. in 6. de laicis* ve-  
ro statuitur quod ipso facto quidem excommunicationem non  
incurvant, sed ab Episcopis constringendi sunt censuris Ecclesia-  
sticis, ut si quid tentarunt, desistant.

Septima, est quod usurarii manifesti easdem pœnas habeant  
quæ constitutæ sunt usurariis non manifestis nempe quod, si  
usurarius solvit usuras, eas repetere non possit, nisi prius ipse  
usuras ab aliis acceptas restituerit *C. michael. de usur.* insuperque  
compelli possit ostendere codices rationum suarum *Clem. un. h.t.*

& per Recessus Rom. Imperii usurarius quarta parte sortis capitatis mulctetur cuius dimidia pars spectat ad magistratum cui usurarius est subjectus altera dimidia spectat adeum magistratum contra quem usura exercita Recess. imperii de Anno 1577. tit. von wucherlichen contracten insuperque extraordinaria poena affici possunt sed secundum Jus commune ob poenam infamiae in arbitrio judicis consistit, & per Recessus Imperii non est sublata seu alia poena super addita Carpz. in praxi crimi. parte 2. q. 92. n. 29. Gravis est questio an haeres usurarii obligetur usuras a defuncto perceptas restituere ex bonis propriis, casu quo tantum in bonis defuncti non reperiit se, de jure Civili quod non, haeres non tenetur ex delicto defuncti, nisi quatenus ex eo delicto factus est locupletior, l. un. C. ex delict. defunctor. hinc fit quod actio doli rerum amotarum rei persecutoriae contra haeredes non dentur, nisi in quantum facti sunt locupletiores, l. fin. C. rer. amotar. l. in de Neratius §. hanc actionem ff. ad l. aquil. de Jure Canonico contrarium esse afferendum quia ad quae praestanda defunctus in conscientia fuit obligatus, ea omnia tenetur haeres praestare, quis tenetur animam defuncti liberare, cuius peccatum non dimittitur nisi restituatur ablatum C. si episcop. caus. 16. q. 6. C. fin. X. de sepultur. C. in literis X. de rapt. atqui usurarius verum debitum contraxit pro usuris restituendis, quarum acceptione injusta damnum proxime doloris in tulit, unde Jure merito ad hujus damni refusionem haeredes condemnantur in C. 4. b. t. & non observandum est Jus Civile quia debet cedere Juri Canonico quando versamur circa salutem anime vel materiam peccati Canis. de differentiis utriusque Juris differentiam. 27. Molina de delictis disput. 67. n. 34.

### X I I.

Quæres si quis tantum persolvit pro usuris quantum mutuum est, & non tantum hoc, verum ultra alterum tantum exsolvetur, an creditor a debitore ulterius aliquid exigere possit videtur esse solvendum quod non ob Nov. 121. cap. 2. ibi. nos vero recipiamus ut particulares etiam solutiones debita dissolvant, si usque ad duplum pertingant sancimus itaque, ut secundum hoc fiat computatio, & si ultra persolvatur, detur condicatio indebiti his, non obstantibus contrarium esse afferendum, ubi de centum quinque accipiunt-

accipiuntur quia non petuntur ut usuræ, de quibus nov. loquitur sed velut interesse, ab usura ad interesse bonum non sit argumentum, ut interesse sit concessum ut a tempore moræ de centum quinque singulis annis exigi possint Berlich. *pratt. concl. part. 2. conclus. 238. n. 37.* debitor per Recesulum Imperii spirensem de Ao. 1600. excipitur primo si interpellatus in mora solvendi sortem constitutus fuerit, Richt. *decis. 74. n. 92. 93.* modo fuerit solvendo. 2. si post sententiam condemnatoriam usuræ supra sortis quantitatam excreverint 3. si quod vere interest petatur, non usuræ l. 2. §. 8. ff. *de eo quod certo loco* 4. aliud est in Annuis redditibus Nov. 160. 5. in usuris pupillaribus Berlich. p. 2. *concl. 38. n. 7.* Carpz. C. 1. pos. 28. ubi idem esse dicit in usuris viduis ac piis locis, in his casibus licet etiam usuras ultra altrum tantum exigere.

### X I I I.

Quæres an contractus Cambii sit usurarius Resp. nego quia lucrum quod accipitur non accipitur ex mutuo sed ex contractu inominato loco mercedis quia labore proprio & industria ad hujusmodi cambia paratos nummos habere debent Ipsa vere exspectatio videtur pretio esse æstimabilis modo lucrum non capiatur magnum quia id videtur fieri in fraudem legis *vid. cavarr. de collat. vet. numismatum C. 7. n. 4.* Latius illud deducere assertum terminosque hujus disputationis ulterius extendere temporis ratio instansque impedit iter itaque hic pedem figo, Benevolum Røgans lectorem, si forte minus limitata atque accureta vel minus displicentia apposuerim, non enim omnes hic similem suis labiis invenient lactucam, ut nævos legendō repertos benevolentiae umbræ tegere non dedignetur, spondeo vicissim, adsit jaætantia dicto me Baldi JCTi merito suscepturum modestiam, qui cum à quodam deprehensus esset: *in Concil. 44. lib. 4.* Se defendit atque ita se subscripsit, Baldus de perusio ignorantiae inimicus alienæ, inimicissimus suæ paratus, corrigi à quocunque, & correctiones patiens, animo lubenti & humili, quia ignorare non est vitium. l. 12. *in fin. ff. de leg. 3.* sed nil discere velle. Interim D. T. O. M. pro concessa divinitus gratia sit

*Hic igitur nostram teneat jacta anchora puppim,  
Sitque honor aeterno qui regit Astra Deo.*

C O

10117649

# COROLLARIA.

I.

*M*inor Jure Civili potest procurator esse non solum ad negotia extrajudicialia sed etiam ad lites.

II.

*Feudo legato successor feudalis neque legatum ueque estimationem præstare tenetur.*

III.

*In feudo pro se & hæredibus utriusque sexus accepto non aliter admittuntur fœminæ, nisi defientibus masculis.*

IV.

*Permittitur civibus & subditis Imperii exteris Regibus & principibus militando servire, modo nihil contra Imperium ejusque statum moliantur.*

V.

*Quæstio, quæ disputatur adbuc inter Doctores, an Judex debet Judicare secundum acta & probata an vero secundum conscientiam; est inutilis, quia non datur talis casus.*

